DE
MONACHI SANGALLENSIS
GESTIS CAROLI MAGNI.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE IMPETRATIS

DIE XXIII. JUNII A. MDCCCLXII.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUSTAVUS GARLIPP

PALAIO-MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ED. ZIMMERMANN, THEOL. STUD.

W. BERGER, PHIL. STUD.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

Non mediocriter versanti in libris eorum fontium scriptorum, qui res a Carolo Magno gestas perscripserunt, si Monachi Sangallensis de Carolo librum pertractarem, operae pretium facere mihi visus sum. Quod quo jure facturus sim, nemo sane interrogabit, qui intellexerit, omnia posterioris medii aevi et rei publicae et ecclesiae instituta ex aetatis Caroli deducenda esse, quique ad eam accuratissime cognoscendam ne levis quidem momenti scriptorem omittendum esse persuasum habeat; est autem, siquidem cum optimis illius aetatis fontium scriptoribus eum comparamus, Monachus Sangallensis levis momenti. Quod quo jure dictum sit, infra videbimus; nunc vero, priusquam ad ipsam quam nobis proposuimus de historica fide Monachi quaestionem accedimus, praemittenda videntur pauca quaedam de consilio operis atque tempore, quo perscriptum sit.

Fuit auctor librorum de gestis Caroli Magni natione Alamannus [1]), monachus in st. Galli monasterio, Grimoldo [2]), et Hartmuto [3]) abbatibus. Jam senex balbus et edentulus [4]) a Carolo Crasso, qui ex Italia redux anno 883 per tres mensis Decembris dies in monasterio st. Galli moratus, illius de Carolo Magno narratiunculis maxime gavisus erat, easdem perscribere jussus est [5]). Quod jussum ita exse-

1) Mon. Sang. II. 12.

2) I. 8. cf. Ratperti Casus st. Galli in Pertz Monum. German. histor. II. p. 69.

3) II, 10. Carolus Crassus cum anno 883 aderat in monasterio s. Galli, Hartmuto ut abbatis munus deponeret, permisit, ac Bernhardum abbatem instituit, cf. Ratperti Casus s. Galli, l. c. p. 74.

4) II, 17.

5) I, 18; II, 16.

qui ei in animo erat, ut tribus libris, tres auctores secutus [1]) gesta Caroli enarraret, ac primo quidem illius pietatem et curam ecclesiarum et scholarum [2]), secundo bella [3]) tertio vitam domesticam [4]) Caroli depingeret. Primi libri ei erat auctor Werinbertus [5]), clericus quidam, qui a patre Adalberto narratiunculas de Carolo circumlatas doctus, eas potissimum, quae ad res ecclesiasticas pertinebant, Monacho narravit. Bella autem Caroli ab Adalberto, qui ipse eis interfuerat [6]), puer invitus et vi paene doctus [7]) comperta habet.

Quem in tertio libro aut secutus sit aut secuturus fuerit auctorem, nescimus, quod prooemium libri primi, in quo de hac re dixit [8]), amissum est.

Ceterum dubitari potest, utrum Monachus conscripserit tertium librum, an hic nunquam omnino exstiterit; nam in codicibus optimis, qui saeculo duodecimo exarati sunt, nullum ejus vestigium deprehendimus, atque eadem res est de fine secundi libri, qui mutilus ad nos pervenit; finitur in optimis codicibus verbis: „officium quidem tuum te habere permittimus (quae in capite vicesimo primo editionis Pertzianae inveniuntur). Apparet nonnulla excidisse, sed pauca, ni fallor; jam enim capite sexto decimo: „si

---

1) Prooem. libri II.

2) Ibid.

3) Ibid.

4) Domesticae Caroli vitae describendae totum librum Monachum tribuisse apparet et ex eo, quod cum se tres auctores secuturum esse dixerit, in iis, qui ad nos permanserunt libris, duos tantum secutus est; et inde, quod cum in altero libro „de bellicis rebus acerrimi Caroli" (prooem. II.) se locuturum esse profiteatur, in sexto decimo libri secundi capite: sed si bellicis, inquit, rebus ab eo gestis aliquid non subtraxerimus, nunquam ad cotidianam ejus conversationem revolvendam reducimur.

5) Videtur fuisse monachus s. Galli atque idem, quem ab Otfrido monacho Wizenburgensi commemoratum invenimus; cf. Wackernagel, deutsche Literaturgeschichte p. 61. not. 5.

6) Adalbertus erat miles comitis Geroldi, qui frater Hildegardae reginae anno 799 bello Avarico cecidit.

7) Prooem. libri II.

8) Ibidem.

bellicis, inquit, rebus ab eo gestis aliquid non subtraxerimus, nunquam ad cotidianam ejus conversationem revolvendam reducimur: quapropter quae concurrunt in praesenti, quam strictissime potuero, memorabo". Unde conjicere licet, scriptorem libro suo mox finem impositurum fuisse.

Ceterum stilus ejus est durus et agrestis, vel teutonicae voces latinis immiscentur [1]; praeterea nimia imaginum cumulatione sermo est obscurus. Totum opus speciem narratiuncularum collectanearum prae se fert; videmus enim auctorem senili garrulitate in diversa abduci; neque vero omne pretium „gestis" abrogandum esse, infra videbimus.

Composita esse „gesta" inter annum 884 et 887, certissime inde efficitur, quod Monachus Arnulfum Carlomanni filium a Carolo Crasso suspiciosum habitum esse enarrat [2], anno autem 887 hic ab illo e regno expulsus est [3]. Jam vero permultos probabilitatis numeros habet, Monachum, ut jussum imperatoris quam celerrime perficeret, paullo post ejus discessum narratiunculas componendas aggressum esse; itaque primus liber, quem septimo die post Werinbertum praeceptorem mortuum finivit [4], a. d. III. Cal. Jun. [5] anni 884, ni fallor, perfectus est; eodem die etiam alterius libri prooemium scripsit [6], qui cum mutilus sit in fine, quando perfectus sit, nescimus.

Pauca denique de codicibus „gestorum" afferre liceat, quorum duo habemus genera, alterum Hannoverani alterum Gothani longe diversum ab illo, quocum ex eodem fere fonte derivatus est Monacensis; ex his, qui omnes saeculi duodecimi sunt, pendent ceteri qui supersunt codi-

1) II, 1. hegin; II, 8. hossas; II, 17. roccus.
2) II, 14.
3) Annales Fuldenses a. 887 (ap. Pertz SS. I. 337—415).
4) Prooem. II.
5) Ibidem.
6) Ibidem.

ces [1]). Illorum autem trium opera Pertzius novam „gestorum“ editionem instituit [2]).

His expositis, ut ad summam hujus dissertationis progrediamur, quid nobis proposuerimus quaque via propositum nostrum persecuturi simus, paucis exponendum videtur. Igitur in animo nobis est, ut comparatis ceteris illius aetatis fontium scriptoribus statuamus, quibus in rebus Monacho Sangallensi historica fides tribuenda sit; quod ut assequamur hanc viam instituamus ut

I. quae de Caroli literarum cura,
II. quae de ratione Caroli cum episcopis et cum sede pontificali,
III. quae de bellis et rebus externis,
IV. quae de rebus internis Caroli,
V. quae de Pippino Parvo, Ludovicis et Pio et Germanico

prodidit, dissertatione critica perstringamus.

Constat inter omnes, literarum studia per longum tempus intermissa ac paene omnino neglecta [3]) a Carolo Magno revocata esse [4]), qui siquidem ipse in literis bene eruditus non erat, studuit tamen aliis ea, quae sibi juveni defecerant, praeparare, quamvis nescius initio quibus subsidiis. Maximam autem habebat curam, ut viros literarum antiquarum institutione bene excultos nancisceretur; testes sunt illi qui supersunt fontium scriptorum libri.

Qua de cura Caroli etiam Monachus Sangallensis nonnulla tradidit, quae quidem, si singula respexerimus, magna ex parte vix vera habebimus; enarrat enim [5]), Caro-

---

1) cf. Pertz Monum. SS. II. p. 727 et 728.

2) Pertz Monum. SS. II. p. 726—763. Wattenbach hac editione usus „gesta“ Monachi in linguam Germanicam transtulit in: Geschichtsschreiber deutscher Vorzeit, 9. Jahrhundert, 3. Band. Berlin 1850.

3) cf. Histor. eccles. Gregor. Turon. praefat. libri I. p. 1 et 2.

4) cf. Baehr, de literarum studiis a Carolo Magno revocatis ac schola palatina instaurata. Heidelberger Programm 1855 p. 4 et 5.

5) I, 1.

lum „semper amatorem et cupidissimum sapientiae" duobus Scotis, qui „cum mercatoribus Britannis ad litus Galliae devenientes" sapientiam venalem proposuissent, primas scholas alteram in Gallia alteram in Italia instituendas tradidisse; „audito autem, quam gratanter sapientes viros religiosissimus regum Carolus susciperet, Albinum de natione Anglorum ad eum venisse" [1]). Quae de Scotorum [2]) illorum adventu et scholis narratiuncula si vera esset, haud dubie qui ipsa Caroli aetate scripserunt auctores aliquid rettulissent; quod vero longe secus habet, cum nullum hujus rei testimonium habeamus. Videtur igitur quam opinionem jam Lorentzius [3]) professus erat Monachus posterioribus cum prioribus confusis Clementem eum, qui medio saeculo octavo propter haereticas apud Francos orationes in odium s. Bonifacii incurrit, cum Carolo conjunxisse. Praeterea primum scholarum in Caroli regno institutarum testimonium ex anno 787 est [4]); cum enim usque ad id tempus una schola palatina [5]), quae capella nominabatur, videatur fuisse, tum ut in monasteriis et apud ecclesias cathredales scholae [6]) instituerentur, Carolus mandavit, qua in re Alcuini potissimum consilio adjutus est. Alcuinus scilicet Roma redux, quo pallii Eanbaldo archiepiscopo Eboracensi conciliandi causa missus erat, cum anno 781 [7]) Parmae [8]) Carolo obviam veniret, omnibus ab hoc precibus invitatus post „expletionem Missatici" pro-

---

1) I, 2.

2) Quorum alterum Clementem nominat.

3) Lorentz, Alcuin's Leben. Ein Beitrag zur Staats-, Kirchen- und Culturgeschichte der Karolingischen Zeit. Halle 1829 cf. p. 56—58.

4) Capitular. a. 787 et 789 ap. Pertz Monum. Leges I. p. 52 et 53.

5) cf. Lorentz p. 165; Baehr l. c. p. 9.

6) Has scholas Carolum ipsum intervisisse, narratiuncula Monachi I, 3 demonstrat.

7) Anonymus de vita Alcuini VI, 12 in Alcuini Opp. ed. Froben Forster. Regensburg. I, I. p. LXIV.

8) Carolum anno 781 Parmae fuisse cf. Böhmer, Regesta Carolum p. 13.

ximo anno ad Caroli aulam accessit [1]). Qui quantum ad studia literarum revocanda praestiterit, Monachus neque ignoravit, neque tacuit [2]). Hoc demum adjuvante Carolus id, quod sibi proposuerat, perficere potuit, ut scholis institutis gentes a fera agrestique vita ad humanum cultum deduceret; ejus, inquit Monachus [3]), in tantum doctrina fructificavit, ut moderni Galli sive Franci antiquis Romanis et Atheniensibus aequarentur. Quam laudem nimiam si quis dixerit, id tamen negari nequit, humanitatis sive antiquarum literarum studia illa aetate sic revocata esse, ut fundamentum exhiberent ejus doctrinae, quae proximis inde saeculis per medium aevum obtinuit.

Octavo post adventum anno Alcuinum — per breve quidem temporis spatium et Carolo concedente — reversum esse in patriam Monachus, qui „jugiter" Carolum usque ad finem vitae eum secum retinuisse enarrat [4]), videtur ignorasse. Quo loco etiam ea non ineptum videtur perstringere, quae prolata habemus de Caroli cura cantus ecclesiastici; qui cum asper et durus esset apud Francos, a Carolo autem etiam Einhardi testimonio [5]) convincatur excultus esse, dubitari nequit, quin ille hoc maxime curaverit, ut per cantores Romanos hanc artem Franci edocerentur, id quod Monachus narratiunculis capitis decimi [6]) probare vult. Neque vero credimus jam a Stephano [7]) papa clericos cantus ecclesiastici peritos duodecim Caroli rogatu in Franciam missos esse, qui cum Roma proficis-

1) cf. Lorentz p. 13—15.

2) I, 8: „de discipulis Alcuini nullus remansit, qui non vel abba sanctissimus vel antistes sanctissimus exstiterit.

3) I. 2.

4) I, 2.

5) Einhardi vita Caroli c. 26: legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit.

6) I, 10.

7) Carolum decalvato ac deposito invalidissimo Francorum rege Hilderico a Stephano papa „ad regni gubernacula antiquorum patrum more unctum esse" (I, 10) omnino falsum; quod ad Pippinum Caroli patrem referendum esse apparet. (cf. Annal. Einh. a. 784; Einh. vit. c. 3).

centes ob invidiam Francorum ut artem cantus diversissime docerent, composuissent, maximam in Francia cantus ecclesiastici discrepantiam effecissent.

Propius ad verum accedunt ea, quae cum monacho Egolismensi [1]) fere consentiens [2]) refert, Stephani successorem — Hadrianum [3]) — duos optimos cantores ad Carolum misisse, quorum alter apud eum retentus [4]), alter „Mettis“ [5]) omnes, qui ipsi cantum docere vellent magistros cantum ecclesiasticum edocere jussus esset.

Mettensis autem scholae cantus ita eminuit, ut „apud eos, qui latino sermone utebantur ecclesiastica cantilena diceretur Mettensis, apud eos autem, qui theutonica lingua loquebantur aut vernacule Met aut Mette vel secundum graecam derivationem usitato vocabulo Mettisca nominaretur“ [6]). Quantum Carolo cantus ecclesiasticus curae fuerit, etiam ea, quae septimo capite libri secundi narrantur demonstrant; refert Monachus illum, cum Graecorum cantu audito dulcedine ejus delectaretur, clericis suis praecepisse, „ut nihil ante gustarent, quam easdem antiphonas in Latinum conversas ipsi praesentarent.“ [7])

---

1) cf. Pertz Monum. SS. I. p. 170.

2) Quod Monachus duos illos clericos a Carolo ad papam missos et bene eruditos ab hoc remissos esse narrat, fictum esse apparet propterea, ut haec cum illa, quam antea de hac re finxerat narratiuncula consentiret.

3) False Monachus Stephani, qui anno 772 mortuus est, successorem nominat Leonem; hic anno demum 796 Hadriano successit.

4) Monach. Sang. I, 10. — Monach. Egolism. loc. cit. alterum „Mettis“ alterum „Suessionis“ artem cantus docuisse perhibet.

5) Maxime hoc loco, ut saepius, temporum seriem confudit, cum alterum cantorem Drogone Caroli filio episcopo Mettensi petente Mettas missum esse narret; Drogo enim non ante annum 818 tonsuram accepit cf. Thegan. vit. Ludovici Pii ap. Pertz Monum. SS. II. p. 596.

6) I, 10 in fine.

7) Hoc loco mentio injicienda est codicis, quo Pertzius usus non est Wiblingiani, qui nunc in monasterio st. Florian servatur nonnullisque rebus a ceteris codicibus discrepat, quas discrepantias Wattenbach in translatione „gestorum“ adnotavit, quem ad

Unde videre licet Monacho etsi in universum, quam ad humanitatis studia resuscitanda curam Carolus adhibuerit, satis diligenter perspexit, in singulis tamen plerumque fidem abrogandam esse.

Jam vero ut ad ea transeamus, quae de Caroli cum ecclesia, cum episcopis, cum sede pontificali ratione protulit, priusquam Carolus imperium suscepit, episcopi nihil fere habebant illarum, quae clericum decent virtutum, ecclesiam non curabant, sed voluptatibus corporis se dabant, quod Carolo Martello potissimum regnante factum esse nemo ignorat. Deinde jam Pippinus quidem operam dederat, ut eos tales redderet, quales clerici esse debent, sed Carolus demum perficere hoc potuit [1]). Is enim curans ecclesiam episcopos semper custodiebat, ita ut justissime eos et punire [2]) et praemiis afficere [3]) posset. Atque huc etiam eorum, quae a Monacho de clericis traduntur pleraque pertinent. Accedunt nonnullae narratiunculae, quibus stultitia et superbia singulorum episcoporum et alia multa enarrantur [4]), quae clericum dedecent, ita ut primus „gestorum" liber maxima ex parte historiolis ejus generis refertus sit; qua re perterritus Monachus ipse timet, ne in odium episcoporum incurrat [5]). Quae narratiunculae utrum verae sint necne, pro certo quidem dijudicare non possumus; videntur tamen fide non carere, quod, nisi revera ejus generis episcopi fuissent, populus historiolas illas omnino non fuerit crediturus; nos vero id teneamus necesse est, quod ex iis elucet quodque e ceteris illius aetatis scriptoribus compertum habemus, Carolum custodientem episcoporum et clericorum vitam maximam operam dedisse, ut eos tales redderet, qui revera servientes ecclesiae ei praeesse possent. Hinc factum est, ut haud pau-

---

hunc locum conferas: Wattenbach „der Mönch von St. Gallen" p. 46. A. 1.

1) cf. Lorentz. p. 156—164.

2) I, 6; 16; 17;

3) I, 5; 8; 14; 15.

4) I, 18; 19; 20; 32; 33.

5) I, 18.

cae ejus, quae ad ecclesiam ejusque praefectos pertineant nobis servatae sint leges[1]). Quarum Monachus nihil commemorat, nisi quae in libri primi capite octavo decimo enarrat, ubi „praecepit, inquit, religiosissimus Carolus imperator, ut omnes episcopi per latissimum regnum suum aut ante praefinitum diem, quem ipse constituerat in ecclesiasticae sedis basilica praedicarent aut quicunque non faceret episcopatus honore careret".

Narratiunculis igitur illis prolatis Monachus „curam domni Caroli ecclesiasticam" demonstrasse sibi videtur, ad quod accedit, quod de cura ejus cantus ecclesiastici supra[2]) diximus.

His expositis, quem in modum Carolus in episcopos se habuerit, nunc quae ei cum sede pontificali fuerit ratio paucis respiciamus; qua de re pauca et haec quoque ex parte ficticia Monachus tradidit. Refutavimus jam antea[3]), quod in primi libri capite decimo dicitur Carolus a Stephano papa rex unctus esse; neque minus false[4]) Stephani successor Leo nominatur, a quo magistros duos cantus ecclesiastici peritos accepisse traditur Carolus; unde tamen hoc certe apparet, rationem Caroli cum illis a Monacho bonam habitam esse, qualis revera videtur fuisse[5]). Gravioris sunt momenti quae de Leone papa Hadriani successore exhibuit et in nonnullis quidem rebus a ceteris scriptoribus discrepantia. Qui cum quosdam invidia caecatos dicat sanctae recordationis Leoni papae mortiferum crimen imponentes eum caecare fuisse

---

1) Capitular. a. 769 Pertz Monum. Leges I. p. 33—34. et a. 789, loc. cit. p. 53 sq.

2) Vid. p. 6 et 7.

3) Vid. p. 6 not. 7.

4) Vid. p. 7. not. 3.

5) Cujus rei testimonium epistolae ab illis invicem missae produnt, in quibus ne una quidem litera indicatum est, alterum alterius principatum sibi vindicavisse; immo ex multis epistolis apparet, illos amicos et socios se invicem habuisse cf. Hegewisch, Geschichte der Regierung Kaiser Karl's des Grossen p. 246. — Einh. Annal. a. 796.

agressos, cum omnibus consentit[1]); quod — quae relatio [2]) speciem veri habet — non ut voluerant processit, nam „divino nutu conterriti sunt illi et retracti, ne oculos ejus eruerent, sed rasoriis per medium inciderent", quamquam papa ejusque familiares divulgarunt famam, oculos revera erutos [3]) linguamque abscissam gratia divina sana facta esse, ita ut etiam Einhardus[4]) hanc famam veram habuerit, quam propterea fictam esse manifestum est, ut papae, cum Dei gratia a tanta injuria defensus videretur auctoritas cresceret. Qua in re quo ad hostes suos opprimendos opus esse intellexit, auxilium Leonem ab imperatore Constantinopolitano [5]) petiisse nullo modo probabile videtur. Namque inde ab eo tempore, quo Pippinus a Stephano papa rex [6]) unctus est, quo major regum Franciae cum sede apostolica necessitudo intercessit [7]) eo magis relaxata est quae regibus Constantinopolitanis cum illa fuerat conjunctio, ita ut ceteri scriptores si vera esset, certe de hac re aliquid dicturi fuerint. Itaque non errabimus, si fictam esse a Monacho hanc Leonis petitionem

---

1) I, 26; cf. Annal. Einh. a. 799; Einh. vit. c. 28; Annal. Laureshamenses a. 799 (ap. Pertz SS. I. p. 22—39).

2) Ad quam proxime accedunt Joannes Diaconus (Chronicon Jo. Diac. ap. Muratori Scriptores rer. ital. II. p. 312) qui „Leonis, inquit, cum vellent eruere oculos, inter ipsos tumultus sicut assolet fieri unus ei oculus paullulum est laesus," — et Annal. Lauresh. a. 799: „instigante diabolo Romani comprehenderunt Leonem et absciderunt linguam ejus et voluerunt eruere oculos ejus et eum morti tradere, sed juxta Dei dispensationem malum quod inchoaverunt non perfecerunt."

3) Quod Anastasius qui vitam Leonis descripsit verum recepit, ap. Muratori l. c. III, I, p. 197. — cf. Grimm, deutsche Sagen II, 132.

4) Vita c. 28. Romani Leonem pontificem multis affectum injuriis, erutis scilicet oculis linguaque amputata fidem regis implorare compulerunt; in annal. a. 799. addit ad verba: oculis erutis ea: ut aliquibus visum est.

5) False Monachus eum Michaelem nominat; imperium tum habuit Irene.

6) cf. Ann. Einh. a. 754.

7) cf. Giesebrecht, Geschichte der deutschen Kaiserzeit 2. Auflage I. p. 104 et 105.

contenderimus. Carolus potius cum ejus rei nuntium accepisset, ultro intercessit et „ipsum Leonem ut vicarium s. Petri et Romanum pontificem cum summo honore ad se praecepit adduci[1]). Qui Padarbrunni ab illo honorifice susceptus, cum magno honore per legatos reductus in locum suum restitutus est[2]). Ipse autem Carolus cum anno 799 quamvis maxime rogatus ab Alcuino[3]) propter bella cum Saxonibus gerenda Romam proficisci non posset[4]), sequenti demum anno hoc iter suscepit. Itaque vix credimus Carolum[5]) papa petente „ut semper expeditione et praecinctu bellico positus fuerit, statim caput orbis ad caput quondam orbis absque mora perrexisse“. Quod autem de poena conjuratorum deque jurejurando, quo papa de objectis criminibus se purgaverit, Monachus tradit, haud fere dissentit ab Einhardo; uterque[6]) enim refert Leonem in basilica beati Petri apostoli evangelium ferentem ambonem conscendisse invocatoque sanctae Trinitatis nomine de objectis se criminibus jurando purgasse, ad quae verba Einhardus addit hoc fecisse illum, postquam nullus eorundem criminum probator esse voluerit[7]).

---

1) cf. Annal. Einh. a. 799.

2) ibidem.

3) Opera Alcuini, epist. 80, p. 117 cf. Lorentz p. 223.

4) Annal. Einh. a. 799.

5) Monach. Sang. I. 26.

6) Annal. Einh. a. 800; Monach. I, 26; hoc loco codex Wiblingianus discrepat a ceteris, in quo post jusjurandum papae hanc additam invenimus narratiunculam: multi ex captis conjuratis permissionem petiverunt, ut jurejurando se de crimine purgarent non nescii sanctum Petrum precibus facillime commotum indulgere. Quod ut illis negaret papa a Carolo impetravit tum demum esse purgatos illos habendos dicens, cum in Pancratii sepulcrum jurassent. Quod cum multi facere voluissent, alios humi procidisse alios perversa a daemone percussos locutos esse. Quae videntur non ab ipsa Monacho perscripta — certe non deessent in omnibus ceteris codicibus — sed postea — codex est saeculi XIII — addita esse ad vim Pancratii probandam. Simili modo in fabula hoc jusjurandum narratur, cf. Grimm, deutsche Sagen II, 137.

7) Annal. Einh. a. 800; Anastasius in vita Leonis (ap. Muratori loc. c. III, I. p. 199) dicit fecisse papam postquam archiepi-

Jam vero accingimur ad ea, quae de coronatione Caroli Monachus enarravit examinanda. Cujus coronationis mentionem apud omnes illius aetatis scriptores factam invenimus; qui fere omnes consentiunt cum Monacho Sangallensi Carolum et inexopinato [1]) a papa imperatorem esse nominatum neque libenter coronam suscepisse, quod Einhardus paulo uberius exponit his additis verbis „primo nomen imperatoris et Augusti in tantum aversatum eum esse, ut adfirmaverit se eo die, quamvis praecipua festivitas, ecclesiam non intraturum fuisse, si pontificis consilium praescire potuisset". Itaque Monachus propterea invitum Carolum coronam suscepisse probabiliter narrat, quod putaverit „Graecos majore succensos invidia aliquid incommodi regno Francorum machinaturos" [2]). Hoc igitur non est dubium, quin Carolus ejusmodi verba dixerit; actum tamen esse jam antea de coronatione inter Francorum regem et papam apparet et ex Alcuini epistola [3]), qua gratulandi causa Romam ad Carolum missa sed diu ante festivitatem illam scripta continentur verba: „ad splendorem imperialis potentiae", et inde quod papa et ecclesia s. Petri statim post ipsam coronationem tanta tantique pretii dona [4]) a Carolo accepit, quae ad apparanda tempore opus erat. Quae cum ita sint Carolus eo consilio dissimulasse videtur quasi de coronatione instanti nihil sciret, ne a Graecis usurpator [5]) haberetur,

---

scopi episcopi abbates negaverint se ullum de sede apostolica judicandi jus habere. — cf. Paulus Diaconus de gest. Longob. a. 800.

1) Ita apud Einh. Annal. a. 801, vit. c. 28. Monach. Sang. I, 26; Anastasius l. c. p. 198. Alia annales Laureshamenses a. 800 referunt; concilium coronationi praecessisse in quo „et ipsi apostolico Leoni et universis sanctis patribus visum sit, ut Carolum regem Francorum imperatorem nominare debuissent; quorum et universi christiani populi petitionem denegare eum noluisse sed in ipsa nativitate domini nostri Jesu Christi nomen imperatoris cum consecratione domni Leonis papae suscepisse."

2) Monach. I, 26 cf. cum Einh. vit. c. 28.

3) Epistola 103 p. 153 conf. c. 185 p. 248 edit. Froben.

4) Anastasius vit. Leonis ap. Muratori T. III. P. I. p. 199.

5) cf. Lorentz p. 234. — Gfrörer, Geschichte der christlichen Kirche III. Band 3. Abtheilung p. 670.

quam causam ut jam antea diximus plane expositam invenimus apud Monachum Sangallensem. Quaestionis autem quapropter et papa et Carolus ad nomen imperiale restituendum pactum fecerint — quod factum esse persuasum habemus — amplius persequendi hic non est locus; qua de re ea conferre velis, quae recentiores perscripserunt [1]).

Sed ut revertamur ad Monachum ea nunc animo lustrare libet, quae de Caroli rebus externis, de legatis missis acceptisque et de bellis ab eo gestis comperta habemus.

Et primum quidem ut demonstremus quae fuerit ratio Carolo cum imperatoribus Constantinopolitanis, jam antea vidimus Carolum timuisse, ne Graeci de suscepto imperatoris nomine indignarentur; qua opinione Einhardo teste non falsus est [2]). Contra priore tempore bonam inter eum et Graecorum imperatorem rationem intercessisse consentiunt Monachus Sangallensis et Einhardus, quorum ille „et maxime, inquit [3]), quia pridem magnanimus Carolus cum legati regis Bizantini venirent ad se et de domino suo illi suggererent, quia fidelis ipse amicus esse voluisset, eum filii loco nutrire et paupertatem illius relevare decrevisset“ [4]). Quantam autem eorum amicitiam Monachus habeat, ex his, quae Carolum loquentem facit verbis perspicitur: „O! utinam non esset ille gurgitulus [5]) inter nos; forsitan divitias orientales aut partiremur aut pariter

---

1) Giesebrecht l. c. I p. 120. Luden, deutsche Geschichte IV, p. 418—422. Leo, akadem. Vorlesungen I, p. 510—511. Eichhorn, deutsche Rechtsgeschichte I, p. 575 not. g. Gfrörer loc. c. p. 670.

2) Einh. vit. c. 28.

3) Monach. I. 26. in fine.

4) Praeterea Monach. II, 5: „interrogavit ille (scil. rex Constantinopolitanus) utrum pacatum esset regnum filii sui Caroli. Heu quare laborat filius meus :...“

5) „Iter ad Graeciam terrestre Bulgares et Hunnos et plures alias immanissimas gentes intactas integras negasse, quas tamen postea Carolus omnes superaverit“ Monachus I, 27 refert. Cum Bulgaribus autem eum nunquam bella gessisse constat.

participando communiter haberemus" [1]). Unde liquet, quantum Carolus pretium ipsius cum Graecorum regno conjunctioni tribuerit, quam hac ratione adaugere studuit, ut filiam Ruotrudam Constantino imperatori Graecorum desponderet [2]). Quae tamen sponsalia nonnullis annis post sublata sunt [3]), ita ut amicitia, cum praeterea etiam de imaginum cultu controversia orta esset, admodum labefactaretur. Neque vero Monachus de his rebus quidquam enarravit; praeter ea quae jam commemoravimus mutuarum Graecorum et Francorum regum legationum mentionem facit. Quarum quae in alterius libri capitibus quinto et sexto narratur, videtur eadem esse, quam Einhardus in annalibus anni 802 commemorat. Falso autem Monachus eam de sede Saxonici belli missam esse dicit, cum Carolum sciamus hoc ipso tempore Aquisgrani moratum Leone Irenae imperatricis legato accepto Jesse episcopum Ambianensem et Helmgaudum comitem ad pacem inter Francos et Graecos confirmandam Constantinopolim misisse. Quos legatos male a Graecis habitos esse — id quod Monachus historiola sua [4]) demonstrare vult — valde credibile est, quod ipso quo aderant tempore Irene imperatrix deposita est [5]). Altera quae sequitur de legatione relatio [6]) vera cum falsis commiscens temporum seriem confudit. Heitto enim episcopus Basilensis anno 811 [7]) cum Hugone [8]) comite Toronico Constantinopolim missus est; cum autem anno demum 814 post Carolum jam mortuum legati Graecorum in Franciam venerint, apparet ea, quae capite sexto libri posterioris de acceptis Graecis legatis

1) Monach. I, 26.

2) Einh. Annal. a. 786; Einh. vit. c. 19.

3) Cujus rei quae fuerint causae Lorentz p. 119 arguit. cf. Annal. Einh. a. 788.

4) Monach. II, 6 init.

5) Annal. Einh. a. 803.

6) Monach. II, 6 med.

7) Ann. Einh. a. 811.

8) Quod nomen recte nominavit codex Wiblingianus cf. Wattenbach, Uebers. p. 44.

narrantur ad annum 803 referenda esse, quo anno Graecos legatos in palatio Salz a Carolo acceptos esse scimus[1]; commutavit igitur Monachus nomen episcopi Jesse Ambianensis cum Heittone, qui ei facilius quam ille innotuerat. Atque narratiuncula illa[2] de Heittone, quomodo pro injuriis a Graecis sibi inlatis ultus sit legatos, hanc quoque propter causam cum Heittone nullo modo conjungi potest, quod cum Heitto legationem suscepit jam duo Caroli filii mortui[3] erant, Monachus autem refert „in ejus circuitu constitisse instar militiae coelestis tres juvenes filios ejus jam participes effectos regni filiasque cum matre non minus sapientia vel pulchritudine ornatas etc.“[4]) Legationum illarum quae fuerint causae quodque consilium a Monacho aliena sunt. Commemorat autem dona, quae iidem missi secum adduxerint, omne genus organorum et praecipue illud musicorum organum praestantissimum, quod doliis ex aere conflatis follibusque taurinis per fistulas aereas mire perflantibus rugitu quidem tonitrui boatu, garrulitatem vero lyrae vel cymbali dulcedine coaequabat“, quod vero minus recte in donis illis habuit[5]. Einhardus enim, qui non neglexit adnotare[6] Pippinum regem ab imperatore Constantino organum pro dono accepisse, certissime similis muneris hoc tempore Carolo donati mentionem injecturus fuerit, ut postea[7] Georgium presbitrum e Venetia venisse refert, qui se organum facere posse affirmaverit.

Sed transitus faciendus videtur ad eas, quae a Persarum et Africorum regibus ad Carolum venerunt, legatio-

---

1) Ann. Einh. a. 803.

2) Quae num vera sit maxime dubitari potest; certe videmus, quas opiniones de cultu palatii regii Monachi aetate habuerint, cf. Hegewisch p. 371 qui false et Jesse Ambianensis et Heittonis legationem in anno 802 posuit.

3) Pippinus anno 808, Carolus a. 811 (cf. Annal. Einh.) mortui sunt; filia Hruodrod anno 811 (Ann. Einh.).

4) Monach. II, 6.

5) Cf. Lorentz p. 66.

6) Ann. Einh. a. 757.

7) Ann. Einh. a. 826.

nes; quas eodem fere tempore[1]) quo Constantinopolitanas missas esse Monachus refert. Et priorem quidem, quam Aaron[2]) rex ad Carolum misit, cum anno 801 ei inter Vercellos et Eporediam obviam facta esset, proximo anno Isaac Judaeus, qui solus ex legatis ante quadriennium ad illum Persarum regem missis reversus erat, subsecutus est[3]). Quam tamen legationem apparet a Monacho cum illa, quae anno 807 ad Carolum venit, confundi; in hanc potius ea quadrant, quae de susceptione legatorum — bene a Carolo susceptos esse copiose Monachus demonstrare studet[4]) — narrat, quod Carolus hoc anno in Aquensi palatio fuit, illis autem legatis inter Vercellos et Eporediam obvius factus est. Atque paulo post priorem legationem acceptam Carolus ipse legatos ad Aaronem misit, qui maxima secum tulerunt dona a Monacho enumerata hisce[5]): „equos et mulos Hispanos, pallia Fresonica alba, canes quoque agilitate et ferocia singulares, quales ipse prius ad capiendos vel propellendos leones et tigrides postulavit". Quos quo anno miserit neque a Monacho neque a ceteris scriptoribus edocemur; videtur tamen Einhardus[6]), cum Radbertum imperatoris legatum referat ex oriente reducem defunctum esse anno 807, legationem illam, qua de etiam in vita Caroli nonnulla affert[7]), inter annos 803 et 805 posuisse. Atque eodem loco cum Monacho consentiens „Aaronem sacrum illum et salutarem locum ut illius potestati adscriberetur concessisse" dicit. Causa autem, qua Monachus Aaronem commotum esse narrat, ut terram illam Carolo donaret — nimirum ait illum cum canes a Carolo donatos Persicum leonem dilacerantes vi-

1) Harun-al-Reschid Chalifus 786—808 chalifatum Bagdadiensem tenuit.

2) Annal. Einh. a. 801.

3) Monach. II, 8, qua in re Hildegardam Caroli conjugem commemorat vivam; constat autem eam jam anno 783 (cf. Annales Laurissenses) mortuam esse.

4) II, 9.

5) Monach. II, 9. med.

6) Annal. Einh. a. 807.

7) Vit. Einh. c. 16.

disset, „ex minimis rebus fortiorem Carolum deprehendentem“ [1]) dixisse, se nulla alia re eum honorare posse, nisi terram sanctam in ejus potestatem daret, ita ut „ipse advocatus super eam esset“ — haec dico causa ne mentione quidem videtur digna. Attamen rem ipsam vere a Monacho demonstratam esse valde probabile est; nam rationes familiares inter eos intercessisse etiam aliorum scriptorum testimoniis constat, ipsis autem Einhardi verbis certe eadem exprimuntur, quae Monachi, terram sanctam Caroli potestati adscriptam fuisse. Accedit quod Monachus testimonium invocat [2]) totius Germaniae, „quae Ludovici Germanici temporibus de singulis hobis regalium possessionum singulos denarios reddere compulsa sit, qui darentur ad redemptionem christianorum terram promissionis incolentium hoc pro antiqua dominatione atavi vestri Caroli avique vestri Ludovici ab eo miserabiliter implorantium“. Cujus rei nuntium Carolus eodem anno 807 accepit, quo Aaron revertentibus illius legatis suos adjunxit ingentibus ad Carolum perferendis donis datis. [3])

Venerunt denique etiam ab Afrorum rege legati ad Carolum, quod comprobatur duobus Einhardi locis [4]); contra quod Monachus Libyae i. e. Africae gentes „penuria confectas a Carolo frumento, vino et oleo sustentatas atque fideles in perpetuum retentas esse“ [5]) nullo reliquorum scriptorum testimonio confirmat ideoque a vero abhorret.

Sed his, quae de legationibus narrat Monachus, examinatis ad ea transeundum est, quae de bellis prodidit.

1) Monach. II, 9 med.

2) Monach. II, 9 in fine.

3) Einh. vit. c. 16; Einh. Annal. a. 807; prae ceteris donis ab eo papillio et horologium commemorantur; papillio a poeta Saxone, qui Arnulfo rege (a. 887—899) carmen de rebus gestis Caroli Magni scripsit (ap. Pertz Script. I. 225—279) diserte descripta est lib. IV. a. 807.

4) Monach. II, 9 init.; Einh. Ann. a. 797 commemorat Abdellam filium et legatum Ibn-Mauge regis Mauretaniae, et a. 801 legatum Amirati Abraham regis Fossati.

5) Monach. II, 9.

Quo loco ut hoc primum moneamus, nihil de bellis Saxonicis, nisi narratiunculas[1]) quasdam, quae tamen fide historica prorsus carent, exceperis, refert; copiosius quidem loquitur de bello contra Longobardos gesto, sed hic quoque narratiuncularum, quas profert, pleraeque fabularum speciem prae se ferunt. Sic priorem[2]), quam enarravit, expeditionem fictam esse facile perspicies, si Einhardum contuleris, cujus testimonio constat una expeditione anni 773[3]) Desiderium Longobardorum regem a Carolo devictum esse; scimus praeterea Carolum Berta matre suadente[4]) Desideratam Desiderii regis filiam in matrimonium duxisse nec tamen eam ob rem, „ne Longobardi unquam a regno Francorum discederent vel terminis sancti Petri aliquam irrogarent[5]) injuriam.“ Quam paulo post a Carolo dimissam esse etiam Einhardus narrat[6]); cujus dimissionis quae a Monacho his verbis[7]): „non post multum temporis quia esset clinica et ad propagandam prolem inhabilis judicio sanctissimorum sacerdotum relicta velut mortua“ significatur causa[8]), digna videtur fide. Hanc autem Desideratae dimissionem quod causam factam esse belli renovandi vel omnino incipiendi enarrat, caret Einhardi auctoritate, qui potius regem ab Hadriano papa in auxilium contra Longobardos vocatum „rebus, quae inter Romanos ac Longobardos gerebantur diligenti cura pertractatis bellum sibi contra Longobardos pro defensione Romanorum suscipiendum ratum esse“ refert[9]); quamquam negari non potest et dimissam Desideratam et susceptam

---

1) Monach. II, 2. 3. 4.

2) Monach. II, 17.

3) Annal. Einh. a. 773; alteram contra Longobardos expeditionem suscepit ad motus comprimendos, quos Hruodgaudus comes Forojuliensium moverat cf. Ann. Einh. a. 776.

4) Einh. vit. c. 18.

5) Monach. II, 17. init.

6) Einh. vit. c. 18.

7) Monach. II, 17 init.

8) Contra quam nonnulla protulit Ideler, Leben und Wandel Karls des Grossen beschrieben von Einhard I, p. 209 et 210.

9) Annal. Einh. a. 773.

a Desiderio[1]) Carlomanni Caroli fratris viduam ad auxilium Romanis ferendum aliquantum valuisse. De ipso bello quae tradit, narratiunculis fabulosis referta sunt. Aedificatio „oratioli, quod apud Ticinum civitatem a quarta diei hora ante duodecimam ita constructum sit, ut nulli eam cernenti nisi per annum integrum fieri posse credatur“[2]), deinde quae Desiderius cum Otgario[3]) collocutus sit[4]), descriptio denique exercitus Francorum[5]) — haec omnia tantopere historiae modum excedunt, ut ea omni fide carere meritumque in ipsis fabulis Germanicis a fratribus Grimm collectis locum nacta esse dicenda sint[6]). Neque dignior fide Monachus videtur quaerentibus nobis, quamdiu oppugnatio Ticeni civitatis duraverit, quod item ad narratiunculas accommodavit altera post inceptam oppugnationem die facillime civitatem expugnatam esse enarrans[7]), cum ab Einhardo „in ejus expugnatione, quia difficilis fuerit, totum hiberni temporis spatium multa moliendo consumptum esse doceamur.[8])

Sed aliter sentimus de descriptione ringi, arcis regiae Avaricae, quae apud nullum scriptorem nisi apud Monachum[9]) reperitur; quam cum diserte dicat traditam sibi esse ab Adalberto, qui ipse bellis Avaricis interfuerit, cur fidem ei abrogemus nulla profecto sat gravis exstat causa. Quam arcem quod reliqui illius aetatis scriptores

1) Einh. vit. c. 3. in fine.

2) Monach. II, 17 med.

3) Otgarius ante aliquot annos „in odium terribilissimi imperatoris incurrerat“, quod viduam Carlomanni ad Desiderium duxerat; fuerat episcopus Moguntiacensis.

4) Monach. II, 17 init.

5) Monach. II, 17 med.

6) cf. Grimm, deutsche Sagen II. p. 112 et 113.

7) Monach. II, 17 med.

8) Annal. Einh. a. 773. — praeterea cf. Paulus Diacon. de reb. gest. Longob. VI, 61.

9) II, 1. cf. Büdinger, Oesterreichische Geschichte bis zum Ausgang des 13. Jahrhunderts I, p. 66 — et de ringo Avarico in Bohemia sito Palacky, Böhmische Geschichte I, p. 75.

trans Tizam positam esse narrant[1]), ille tacet. Neque vero quamdiu et quanta crudelitate bellum gestum sit ingnorat; scilicet „Avaros, inquit, invictissimus Carolus[2]) in annis octo[3]) ita perdomuit, ut de eis ne minimas quidem reliquias remanere permiserit"; praedam inde abduxit maximam[4]).

Quae de bellis cum Slavis gestis profert plane demonstrant parum accuratam ei in promptu fuisse horum bellorum notitiam. „Exeuntes, inquit[5]), a septentrione barbaricae nationes Noricum et orientalem Franciam magna ex parte depraedatae sunt;" quas ipse infra[6]) nominat Wiltzos et Behemannos; hae autem gentes omnino non uno atque eodem tempore nec minus tum cum bellum contra Hunnos gerebatur regnum Francorum invaserunt. Wiltzos enim vel Welatabos jam anno 789 a Carolo devictos[7]), Behemannos autem anno demum 805 a filio ejus Carolo subjectos esse scimus[8]). Crudelitate vero cum tanta Monachus Carolum ad hostes illos perdomandos usum esse dicat, „ut etiam pueros et infantes ad spatas metiri praeciperet et quicunque eandem mensuram excederet capite plecteretur"[9]), non egreditur veritatem. Nam Caroli ingenio licet maxima reverentia tribuenda sit, nihilo tamen

1) Ann. Einh. a. 796; Ann. Lauresh. a. 796. Poeta Saxo liber III. a. 796.

2) Magna ex parte Pippinus filius Caroli hoc bellum gessit (Annal. Einh. a. 796), quod ipse Monachus II, 12 refert.

3) Post ringi destructionem (a. 796) bellum, quod a. 791 incepit (cf. Einh. Annal.), etiam per aliquot annos ducebatur; scimus enim Geroldum comitem a. 799 (cf. Annal. Guelferbit. a. 799 ap. Pertz SS. I, p. 45) interfectum esse, cum contra Hunnos proeliaturus aciem instrueret (cf. Einh. vit. c. 13).

4) Monach. II, 1; Einh. Ann. a. 796; vit. c. 13.

5) II, 12 init.

6) II, 12 in fine.

7) Annal. Einh. a. 789; — Annal. Lauresh. a. 789; Einh. vit. c. 12.

8) Ann. Einh. a. 805; Poet. Saxo lib. IV. a. 805.

9) Monach. II, 12 init.; — eadem narrantur de Chlotario cf. Grimm, deutsche Sagen II, p. 94.

minus immanem ejus adversus hostes crudelitatem praecipue adversus Saxones [1]) adhibitam negare non possumus, cujus testimonia etiam apud alios scriptores invenimus, quamquam Einhardus [2]) demonstrare studet Carolum ipsa hostium in suos crudelitate lacessitum justo jure talia fecisse.

Restat ut Nortmannorum in regnum Francorum invasiones, quae a Monacho commemorantur, respiciamus. Ubi facillimum est ad animadvertendum eum res, quae Nortmannis cum Carolo fuerint, parum diligenter perspexisse. Itaque hic quoque fidem ei derogamus; quamvis enim recte in universum Nortmanni quales fuerint ad bella gerenda quantamque Francorum regno inquietudinem effecerint, descripserit, singulae tamen res magna ex parte relationibus ceterorum harum rerum scriptorum repugnant. Imperator cum aegre ferret, „quod Nortmanni oras Galliae latrocinio maritimo infestas redderent, eos terrestri itinere cum exercitu invadere" constituit [3]), sed hoc inceptum non processit atque ex Monachi quidem relatione propter exortam maximam pecudum luem, qua permotus Carolus, ne „scripturae inoboediens contra jactum fluvii conaretur de incepto destitit". Jam in iis, quae sequuntur [4]) „Godofridus rex Nortmannorum absentia Caroli animatus fines regni Francorum invasit Mosellanumque pagum in sedem sibi praelegit", falsa miscentur cum veris; expeditionem contra Godofridum suscipere Carolus vere in animo erat neque vero propter boum pestilentiam [5]) videtur ab incepto destitisse; priusquam enim exercitum convocaverat nuntium accepit illum cum classe ducentarum navium Frisiam appulisse. Cujus terrae cum maximam

---

1) Alcuinus cum monet epistola quadam, ne tantam immanitatem in iis puniendis adhibeat.

2) Einh. cit. c. 20 affirmat nunquam Carolo vel minimam injustae crudelitatis notam a quoquam fuisse objectam.

3) Monach. II, 13; — cf. Annales Einh. a. 810.

4) Monach. II, 13.

5) Boum pestilentia anno 810 revera et in ipsa expeditione et per totum Francorum regnum fuit. cf. Einh. Annal. a. 810.

partem Godofridus brevi tempore subegisset subjectisque tributa imposuisset [1]), jactabat [2]) quidem vanissima spe victoriae inflatus acie se cum imperatore congredi velle, se brevi Aquasgrani, ubi regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum — Einhardus [3]) „nec dictis, inquit, ejus quamvis vanissimis omnino fides abnuebatur, quin potius putaretur tale quid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte praeventus" — sed revera ibi non consedit; dum enim congregatis tandem contra Godofridum copiis Carolus ad Alaram fluvium stativa habet, illum interfectum esse certior fit. Quod denique Monachus illum narrat [4]) ab ipso filio repudiata matre ejus et alia in matrimonium ducta occisum esse, discrepat ab Einhardo [5]) et Saxone [6]) Grammatico, qui Godofridi satelliti facinus tribuunt. —

Haec fere sunt, quae de Caroli rebus externis Monachus protulit; nunc singula quaedam, quae ad res internas pertinent, paucis perstringemus. Carolum maximam vestium simplicitatem amasse ac vestes peregrinas et pretiosas exosas habuisse [7]), quod Monachus inprimis narratiuncula septimi decimi capitis libri posterioris demonstrare vult, probabile est; nam habitum Caroli parum a communi et plebejo abhorruisse iis exceptis diebus, quibus festivitates celebratae sint, etiam Einhardus testis est [8]). Ceterum ubi legati [9]) aderant summo aulam regiam splendore induisse videtur, quod demonstrat narratiuncula capitis

---

1) Ann. Einh. a. 810; — Saxon. Grammat. hist. Daniae edit. Klotz. Leipzig 1771, VIII, 47. p. 258.

2) Einh. vit. c. 14; Sax. Gramm. ibid.

3) Einh. vit. ibid.

4) II, 13.

5) Einh. Annal. a. 810.

6) Saxo Grammat. loc. cit. p. 258.

7) Monach. I, 34 extr. p. et II, 17; enarrat II, 17 quomodo Carolus procerem suorum ostentationem, qui nimis pretiosis vestibus se ornaverant, puniverit.

8) Einh. vit. c. 23.

9) Monach. II, 6 sub fin., II, 8 init. et med.

octavi libri posterioris, quae quamquam singula fortasse ficta sunt, maximum tamen aulae regiae splendorem testatur. Quem non minus in conficiendis iis operibus consecutus est[1]), quae regni decori atque commoditati inservire voluit. Cujus generis tria Monachus commemorat opera basilicam palatiumque Aquense et pontem Moguntiacensem[2]). Quorum aedificiorum quod de palatio Aquensi narrat, tantopere modum fidei excedit, ut haec descriptio nunc in fabulis Germanicis habeatur. Pontem Moguntiacensem Einhardi testimonio[3]) scimus fortuitu incendio consumptum esse[4]); cujus ruinas etiam poëta Saxo, qui prioribus Arnulfi regis annis carmen illud scripsit, vidit.[5])

Uxores Caroli novit Monachus Desideratam[6]) et Hildegardam[7]); Fastradam et Liutgardam ignorat. Quae de illis narraverit, jam vidimus[8]); Himiltruden quod nomen erat matri Pippini gibbosi, concubinam Caroli habet[9]).

---

1) Einh. vit. c. 17.

2) I, 30. Leges, quas Monachus in exstruendis his aedificiis adhibitas esse affirmat, vere illo tempore usitatae erant; restaurandas aedes sacras ipsi patres et pontifices, ad quorum curam pertinebant, curabant (cf. Einh. vit. c. 17; — Capitular. ad Salz a. 803 c. 1. in Mon. German. Leges I. p. 123; et Capit. Aquense a. 807 c. 7 loc. c. p. 149); ad nova autem opera exstruenda „omnes episcopi, duces et comites, abbates etiam vel quicumque regalibus aecclesiis praesidentes, cūm universis qui publica consecuti sunt beneficia, a fundamento usque ad culmen instantissimo labore perduxerunt“. Monach. I, 30.

3) Einh. vit. c. 32.

4) Stultior quam Monachi (I, 30) est Mariani Scoti (cf. Ideler, Einh. p. 203) de hac re relatio, Richulfum episcopum Moguntiacensem incendisse pontem, quod noctu in eo latrocinia facta sint.

5) Poet. Saxo lib. V, 457—462 (ap. Pertz SS. I. p. 275.)

6) Monach. II, 17 init.

7) II, 8 med.

8) vid. supra p. 18 et p. 16 not. 3.

9) Dubium utrum Himiltrude concubina an uxor Caroli fuerit; Einhardus, quem in aliis rebus semper secuti sumus, hoc loco ipse dubius est; in vita enim Caroli (c. 20) eam concubinam nominat, in annalibus (a. 792) Pippinum illum gibbosum majorem

Liceat denique hoc loco ea considerare, quae de conjurationibus contra Carolum factis protulit. Qua in re, id quod alibi factum esse vidimus, temporum seriem perturbavit, cum Pippini ante Hadradi aliorumque procerum Francorum conjurationem posuerit; illa enim anno 792[1]), haec anno 786[2]) facta est. Quarum de causis quod Einhardus[3]) narrat Carolum crudelitati Fastradae reginae indulgentem a naturae suae benignitate ac solita mansuetudine immaniter exorbitasse Monachus videtur ignorare; locum, ubi conjuratio Pippini facta sit, recte palatium Ratisbonense nominat[4]) falso autem eam post Slavorum subjectionem ponit[5]); redierat[6]) potius Carolus a bello Hunnico. Relatio vero illa[7]) Pippinum „immanissime cesum et detonsum ad cellulam s. Galli castigandi gratia ad tempus aliquantulum destinatum esse“ ac postea demum cum Carolo de Hadrado ceterisque conjuratis bene[8]) suasisset, permissionem accepisse, ut quo loco vellet vitam degeret, Pippinum tum „nobilissimum monasterium Monachi tempore jam destructum — Prumiam — elegisse: haec dico relatio videtur ab ipso Monacho composita esse, ut fabulae

---

regis filium, quod non fecisset, nisi eum legitimum filium habuisset; accedit, quod Stephanus III. papa in epistola anno 773 conscripta Himiltruden diserte legitimam Caroli uxorem nominat cf. Ideler, Einhard I, p. 208 et 209.

1) Annal. Einh. a. 792.

2) Annal. Juvavenses minores a. 786 ap. Pertz SS. I p. 88. et Annal. Nazariani, Pertz I. p. 41.

3) Einh. vit. c. 20.

4) II, 12.

5) ibidem.

6) Annal. Einh. a. 791.

7) Monach. II, 12, med.

8) Pippinus interrogatus per nuntios Caroli, quem in modum Hadradum ceterosque conjuratos puniendos esse censeat, dicitur illis respondisse, Carolo in quibus rebus occupatus ipse deprehensus sit nuntiandum esse; cum enim in horto olitorio esset, inutilia olera evellit, quo melius utilia crescerent; quo consilio Carolus usus omnes illos conjuratos interfecit.

illius primum a Tito Livio prolatae[1]) haberet enarrandae occasionem; nam huic relationi pauca illa verba Einhardi repugnant, qui „Pippinum, inquit[2]), post fraudem delectam et dampnationem conjuratorum detonsum in coenobio Prumia religiosae vitae jamque volentem vacare permisit Carolus." Consentit igitur uterque in eo tantum, quod Pippinus coenobium Prumiae ex sua voluntate elegerit.

Jam tandem postremo loco ea perlustrabimus, quae de Pippino, cui Parvi cognomen est et de Ludovicis et Pio et Germanico Monachus prodidit.

Pippinum Romanis petentibus auxilium contra Longobardos tulisse[3]) et bellum celerrime ad finem perduxisse recte enarrat[4]); idem[5]) vero neque minus Benedictus, saeculi decimi scriptor, sancti Andreae monachus[6]), quod Pippinum dicunt post expeditionem illam Romam venisse, egregie falluntur, cum e contrario Einhardus[7]) atque Fredegarii[8]) continuator referant Pippinum postquam Heistulfum obsidione ut promissa praestaret, coegerit, in Galliam reversum esse. „Primates exercitus Pippinum clanculo despexisse[9]) haud improbabiliter contendit, licet id quod

---

1) Dico relationem illam (T. Liv. I, c. 54) Sextum Tarquinium, cum Gabiis imperium affectaret, nuntio sciscitatum Romam ad patrem misso, quidnam se facere vellet, quandoquidem, ut omnia unus Gabiis posset, ei dii dedissent, nullum voce responsum accepisse atque cum regem in hortum descendisse sequente nuntio et summa papaverum capita baculo decussisse certior factus esset, primores civitatis criminando alios apud populum alios sua ipsos invidia opportunos interemisse.

Monachum T. Livi libros cognovisse et ex iis ipsis hanc fabulam hausisse vix credimus; erant enim illo tempore omnino non exarati.

2) Einh. vit. c. 20.

3) Monach. II, 15. init.

4) Eadem referunt Einh. vit. c. 6; Ann. Einh. a. 756; Continuator Fredegarii c. 121.

5) Monach. II, 15. init.

6) Chronicon Benedicti de s. Andrea ap. Pertz SS. III. p. 706.

7) Ann. Einh. a. 756.

8) Continuat. Fredeg. a. 754.

9) Monach. II, 15.

sequitur fortitudinis documentum [1]) narratiunculae speciem prae se ferat; videtur tamen ante bellum contra Longobardos susceptum dissensionem illam inter Pippinum ac primates intercessisse, quem in modum Einhardus rem exponit [2]).

Proxime ad verum accedunt quae de Ludovicis et Pio et Germanico traduntur, quod non mirum videbitur considerantibus nobis maximam vitae partem Ludovico Germanico regnante Monachum peregisse, qui ipsum regem in monasterio s. Galli vidit [3]). Nortmannorum cum Ludovico Pio quae fuerit ratio satis recte ostendit [4]); invasiones autem eorum post mortem Caroli Magni minime desierunt; certabant enim hoc tempore filii Godofridi cum Haraldo, quem Ludovicus adjuvabat, de regno [5]), quam ob causam „propter tributa augustissimo imperatori Carolo persoluta filium ejus Hludovicum simili veneratione eos solitos fuisse honorare" [6]) vix cuiquam probabitur. Quae vero de baptismatibus Nortmannorum, de pietate et benignitate Ludovici referuntur [7]), in universum cum relationibus illius aetatis scriptorum consentiunt [8]). Conjurationis post mortem Ludovici Pii contra ejus heredes factae false Monachus mentionem fecit [9]), cum inter ipsos potius filios maxima controversia orta sit.

---

1) Monach. II, 18.

2) Einh. vit. c. 6 bellum contra Longobardos non sine magnis difficultatibus susceptum est, quia nonnulli e primoribus Francorum, cum quibus Pippinus consultare solebat, adeo voluntati ejus renitebantur, ut se regem deserturos domumque redituros libera voce proclamarent.

3) Monach. I, 34.

4) II, 19. 21.

5) Annal. Einh. a. 819, 820, 821, 823.

6) Monach. II, 19 init.

7) II, 19—21.

8) De Nortmannorum baptismatibus cf. Einh. Ann. a. 823, 826; Ludovici Pii vita Anonymi (ap. Pertz, SS. II, p. 585—604) c. 40; cf. Dahlmann Geschichte von Dänemark I. p. 29. — de pietate et benignitate Ludovici: vit. Anonym. c. 19, 28, 29, 45, 62 etc.

9) II, 12 init.

Descriptioni [1]) Ludovici Germanici cur fidem non habeamus nulla profecto causa exstat, cum Monachus per longum tempus illo in Germania regnante vixerit et ipse eum in s. Galli monasterio viderit [2]); quo ipso loco [3]) etiam Francorum habitum vere videtur descripsisse.

Ecclesias a Ludovico exstructas esse [4]) Francofurti et Ratisbonae persuasum habebimus, dummodo respexerimus, quod in annalibus Fuldensibus plus uno loco scriptum exstat, eum his locis saepissime commoratum esse.

Legatio [5]) deinde regum Nortmannorum revera ad eum pervenit anno 873 gladium, cujus capulus ex auro factus erat [6]), donum ferens. Neque minus maximam in vestibus simplicitatem [7]) a Ludovico observatam esse, cum exemplum Caroli Magni per totam vitam imitatus sit, veri est simile.

Recte denique Arnoldum vulgo Arnulphum appellatum, qui post Carolum Crassum regnum Francorum tenebat, filium Carlomanni et Bennolinum filium Caroli Crassi nominat [8]).

Haec omnia, quae disputavimus, dum respicimus, prosperam de historica Monachi Sangallensis fide sententiam neutiquam poterimus ferre; quamquam hoc quam maxime abhorret a probabilitate industria eum depravasse historiam falsa consulto conscripsisse; immo res aetatis Caroli Magni, quas auditu compertas habet, latissimis narratiunculis sine fraude enarrare studuit. Apparet autem auctorem, qui talibus condicionibus memoriam rerum gestarum scribit, omnino non posse accurate referre. Itaque Monachi libris pertractatis persuasum nobis est eum res auditu compertas in universum satis

---

1) II, 10 et 11.
2) Monach. I, 34.
3) Monach. I, 34. cf. Thegan. l. c. cap. 19; Einh. vit. c. 24.
4) II, 11 med.
5) II, 18.
6) Annales Fuldenses (ap. Pertz SS. I. p. 337—415) a. 873.
7) Monach. II, 17.
8) II, 14.

recte cognovisse et descripsisse, de singulis autem ac potissimum de temporum serie fere nullam ei fidem tribuendam esse; singula vero quamvis multa cum Einhardi aliorumque scriptorum relationibus congruentia reddere possimus — quod in hac dissertatione, quotiescunque occasio se offerebat, facere conatus sum — librum tamen per se ipsum nisi maxima cautione ad aetatem Caroli cognoscendam adhibere non poterimus. Unde apparet maximo opere mihi comprobatam esse sententiam illorum virorum, qui fidem parvam operis illius pronunciaverunt [1]).

Neque vero Monachi Sangallensis libro omnis fides abroganda est; quippe in quo praebeatur nobis opinionum et intellectuum, quales aetate illius fuerint neque minus morum et institutorum satis accurata cognitio, ita ut eo aegre careremus.

---

1) cf. W. Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter p. 111: Der Inhalt ist keine Geschichte; nur selten und mit grosser Vorsicht ist ein Vorfall, der hier erzählt wird, als wirkliche Thatsache hinzunehmen; et Wattenbach, der Mönch von St. Gallen, Einleitung p. VII.

Praeterea L. Giesebrecht, Wendische Geschichten 3. Thl. p. 288: So entstand ein schwaches Buch, ein Gewebe unbestimmter, ungenauer Nachrichten von Hörensagen, nicht durchaus ohne geschichtlichen Gehalt, aber Einhards Werke so unähnlich, wie Karl der Dicke seinem Ahnherrn.

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Guilelmus Gustavus Garlipp a. d. VII. Cal. Mart. anni h. s. XL. in vico Rochau prope Stendaliam sito patre Joanne Diterico verbi divini ministro, matre Guilelmina e gente Wegener, quos jam dudum mortuos plango. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis Stendaliae imbutus cum per novem annos gymnasium Stendaliense frequentassem examine tempore paschali anni LVIII. superato civibus hujus academiae adscriptus sum. Inde ab hoc tempore per octo semestria, quorum per aestivum anni LX. Erlangiae, per reliquum autem tempus Halis fui, studiis philologicis et historicis incubui. Scholas audivi Halis Bernhardyi, Bergki, Blanci, Leonis, Zacheri, Erdmanni, Schalleri, Dümmleri, Schadii; per unum semestre exercitationibus seminarii philologici, per tria historicis Dümmlero magistro interfui; Erlangiae scholas audivi Hegeli et Keili.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Immeritam laudem Mommsenius in historia Romana C. Graccho tribuit, quod regnum adpetierit, qui potius rectissime fecit, quod regno non studuit.

II.

Henricus rex, Friderico I. imperatore in orientis partibus versante, a. 1189 *Romae coronam erat accepturus. Quae coronatio regalis, non imperialis fuisse videtur.*

III.

Philosophica Ciceronis scripta e scholis expellenda sunt.

IV.

Fridericus I cum anno **1167** *Romae adesset iterum imperator coronatus est.*